PATERIUS · GREGORIUS I. · AUGUSTINUS
Salzburg (?), 6. Jahrzehnt 15. Jh. Seite 49r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



de gregibus siue capra precipitur. Quid
enim per agnam nisi actiue uite innocentia
quid per capram que in summis sepe
extremisque pendens pascitur nisi
contemplatiua uita signatur. Qui
ergo se conspicit promissa ac propo-
sita non implesse ad sacrificium
dei sese studiosius debet uel in
nocentia boni operis uel in subli-
mi pastu contemplationis accin-
gere. Et bene agna de gregibus
capra uero de gregibus offerri non
iubetur quia actiua uita multorum
est contemplatiua paucorum. Et
cum hec agimus que multos agere
et egisse conspicimus quasi agnam
de gregibus damus. Sed cum
offerentis uirtus ad agnam ca-
pram que non sufficit in reme-
dium penitentis adiungitur ut
duo columbarum pulli uel
duo turtures offerantur. Scimus
quia columbarum pulli uel tur-
tures pro cantu gemitus habent.
Quid ergo per duos columba-
rum pullos uel duos turtures
nisi duplex penitentie nostre ge-
mitus designatur ut cum ad
offenda bona opera non ass-
urgimus nosmetipsos dup-
liciter defleamus quia et recte
non fecimus et prauia operati sumus.
Unde et unus turtur pro peccato
alter uero offerri in holocaustum
iubetur. Holocaustum namque to-
tum incensum dicitur. Unum ergo tur-
turem pro peccato offerimus cum
pro culpa gemitum damus. De
altero uero holocaustum facimus
cum pro eo quod bona negleximus
nosmetipsos funditus succen-
dentes igne doloris ardemus.

In commentario Ezechielis omelia
vii et in libro Iob vi et in capitulo
vii.

Dum de promissi sacri-
ficii mysterium de uni-
tate sancte ecclesie in suo
confirmatum capite redemptore
nostro etiam ex passione eius gloria
tractare adiunctum est. De turtu-
re uel columba que pro peccato offe-
runtur iubetur ut caput eius re-
torqueatur ad pinnulas ita ut
caput collo inhereat et non
penitus abrumpatur quod in hac
oblatione turturis uel columbe
que pro peccato iubetur offerri atque
ut post mortem hostie corpori
caput inhereat nisi mediatoris
nostri persona signatur. Redempto-
ris enim nostri mors ad coniun-
ctionem sui corporis id est ecclesie va-
luit nisi ad separationem media-
tor etenim dei et hominum id est ca-
put omnium nostrum et uere mun-
dationis hostia. Unde pro nobis
mortem pertulit. Inde nobis ue-
rius inhesit. Post fectionem ergo
caput turturis suo corpori
inheret quia Christum ab ecclesia nec
mors interueniens diuidit.
Persecutores igitur peregerunt hoc quod
perniciose moliti sunt. Intule-
runt mortem ut ab eo abstiderent.

De turture uel columba ut retorqueatur caput eius ad pinnulas ita ut corpori caput inhereat